



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

257. An in Electore requiratur ordo sacer.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

eorum privatio, & recuperant jus eligendi, tamen si electio, ad quam admissi, vel à qua exclusi, effectum consecuta non sit ex alio, quàm quia electus fuit indignus, capite; quia in poenam delicti sui respectu solum electionis proxima post illam, in qua deliquerunt, privati fuerunt jure eligendi. Gl. cir. communiter recepta. 16.

Quaestio 253. Quid, si ergo aliqui eligentium indignum id fecerunt ignoranter, an electio facta à ceteris eligentibus dignum, dum hi constituunt minorem partem suffragantium, valebit, & promulgari poterit electio?

Respondeo: valebit, si eligentes dignum numero superent eligentes ignominiositer indignum; secus si non superent; quia jam non erit facta à majori parte Capitularium praesentium, & non privatorum; cum eligentes ignominiositer indignum poenam privationis non incurrerint, sumitur ex cap. scriptum. & cap. innotuit. h. r. & ibidem Abb. num. 5. Idem dicendum, dum aliqui majoris partis postulantis indignum id fecerunt ignoranter. Abb. l. cir. Pirh. num. 63.

PARAGRAPHVS III.

De iis, qui etsi spectent ad Collegium, eligere tamen prohibentur jure naturæ, jure positivo, consuetudine.

Quaestio 254. Quinam jure naturæ prohibentur eligere?

Respondeo: omnes ii, qui non sunt constituti in perfecto usu rationis. Hinc primò eligere non possunt amentes. Gl. in c. ex eo, h. r. in 6. Navarr. cap. si quando, de rescript. Pass. c. 10. num. 12. cum communi. Electio enim est actus liber eligentis, ejusque liberum consensum exigit. c. quia propter. h. r. Abb. in c. quisquis. h. r. num. 5. Eligere tamen possunt pro tempore, quo habent lucida intervalla, quia tunc non sunt constituti extra perfectum usum rationis. Pirh. ad h. r. nu. 26. Praesumendum verò erit, electionem factam tempore lucidi intervalli, & sanæ mentis, si actus electionis quietè habitus stultitiam non sapit; sed congruit homini sanæ mentis. Menoch. presumpt. 45. num. 66. Pass. loc. cir. citans Covar. Fulgos. Jason. Bald. in l. furiosum. c. qui ratam facere pos. Secundò perfectè ebrii propter eandem rationem. Tertio iracundi, intellige, pro statu iracundiæ tollentis usum rationis. Pax Jordan. lib. 2. tit. 6. num. 2. Pass. de elect. c. 10. nu. 14. ac denique dæmoniacy, intellige, si privantur usu rationis, secus si usu rationis libero polleant. Pass. loc. cir. num. 15. citans Sigisra. de Bonon. de elect. dub. 86. num. 11.

Quaestio 255. Quid hoc in puncto dicendum de impubere, hoc est, minore 14. annis, si sit masculus, vel 12. si sit femina?

Respondeo: eos regulariter loquendo jure naturæ eligere non posse, c. ex eo, h. r. in 6. Franc.

Barb. & c. cum communi. Etsi enim talis attigisse potuerit annos discretionis, & habere deliberationem, quæ sufficit ad peccandum mortaliter; non tamen censetur habere eam experientiam, & prudentem deliberationem, quæ est necessaria ad electionem Prælatorum Ecclesiæ. AA. iidem. Pass. loc. cir. num. 10. citans Barb. juris Eccles. l. 1. c. 19. num. 48. Biax. de elect. p. 1. cap. 16. Sylv. v. elect. 1. num. 5. & c. Unde licet jure antiquo pupillus modo infanciam (qualis in jure vocatur ætas minor 7. annis, uti & ætas ab exacto septennio ad annum decimum quartum dicitur pueritia. l. si infantes. c. de jure liberandi) excessisset, conseq. poterat beneficium, imò Canonicatum Cathedralis Ecclesiæ. Argum. c. ex eo, non tamen pupillus, etsi septennio major, admittebatur ad ferendum suffragium in Capitulo. Gl. in c. si eo tempore. de rescript. in 6. Porro jure quoque ecclesiastico novo eatenus impuberes quasi consecutivè excluduntur ab eligendo, quatenus juncta reg. 17. cancell. admitti quis nequit ad Canonicatum Cathedralium ante annum decimum quartum, & ad Canonicatum Ecclesiæ Collegiæ ante annum decimum, & Concil. Trid. sess. 23. c. 6. de reformat. statutum, ut nullus beneficium obtinere possit ante annum 14. Item quatenus, ut dicitur paulò post, in electore necessarius est Ordo sacer, ad quem necessaria est ætas longè superans statum impubertatis. Pass. loc. cir. num. 10. in fine.

Quaestio 256. Quid hac in parte sit circa cæcos & surdos?

Respondeo: non prohibentur eligere; cum liberè de eligendo deliberare valeant. Pass. loc. cir. c. 10. num. 16. citans Castel. loc. paulò post. citand. & Dian. p. 5. r. 6. resol. 13. Sed neq. necessarium, quavis bonum, ut cæcus votum suum faciat scribi ad mentem suam ab aliquo ex iis, qui non habent interesse in futura electione, requirendo etiam ab eodem, ut præstet sibi juramentum de fideli annotatione personæ à se nominatæ. Pass. loc. cir. contra Castel. de elect. c. 5. num. 59. & 68. consultitur tamen cæcis à Dian. & Castell. l. cir. (quod Sigism. à Bonon. extendit ad surdos) ut renuncient voci suæ, ad tutiore conscientia agendum.

Quaestio 257. An ad hoc, ut quis eligere possit validè, requiratur Ordo sacer?

Respondeo: id requiri in Ecclesiis Cathedralibus, quin & Collegiatis. Clement. ut ii, & c. de atate & qualitate. Trid. sess. 22. c. 24. de reform. sic statuenti ad præcludendam viam post plurium annorum fructus Ecclesiasticos perceptos deferendi statum clericalem, Pass. loc. cir. c. 10. num. 50. Engels hic num. 6.

2. Secus est in Ordinibus, non tantum feminarum & virorum constantibus ex Religiosis laicis, ut sunt Ordines militares, hospitalarii, Abb. in c. 1. de procurat. sed etiam in Ordinibus aliis, Monasteriis & Ecclesiis Regularium, quorum constitutionibus cavetur, posse quemlibet professum, etiam sacris non initiarum, habere vocem in Capitulo. Ad ea enim monasteria se non extendit constitutio illa Trident. Tabiena v. electio. n. 5. Portel. v. electio. num. 2. Rodriq. tom. 2. q. 52. a. 5. & alii nixi declarationi S. Congregationis data 22. Maji anno 1577. sic declarantis teste Bellarm. ad sess. illam 22. c. 4. ac proinde in hoc servanda cujusque Ordinis leges & consuetudines. Pass. c. 10. num. 54. Praesertim cum

cum etiam laici conversi consuetudine praescribere possint, ut vocem habeant in Electionibus canonicis. *gl. in c. ex eo. manifestè dicens, per illud caput non fuisse abrogatam talem consuetudinem legitimam.* Pass. *loc. cit. n. 58.* vide Barb. *ad cit. c. 4. sess. 22.* Sed neque de cetero illis obstat textus *cit. c. ex eo. h. in 6. Conversi laici cum clericis electionibus interesse non debent in Ecclesiis regularibus vel monasteriis.* Monachi siquidem & religiosi professi, etsi nequidem Clerici, adeoque adhuc laici, dummodo deputati sint ad clerum, nunquam veniunt nomine laicorum conversorum, adeoque ad hos se non extendit dicta constitutio. *gl. in c. ex eo. v. cum clericis. Felin. in c. non dubium. de sent. excom. Suar. tom. 4. de relig. l. 2. c. 4. n. 3.* Sed potius virtualiter eos admittit, excipiendo solos laicos conversos juxta illud; exceptio firmat regulam in contrarium. *Suar. ibid.* Qui nihilominus ostendit, probabiliter sustineri posse contrarium, nimirum nomine laicorum conversorum in *cit. c. ex eo.* comprehendi quoque religiosos alios quoscunque non ordinatos. Quin &, quidquid sit de hoc & jure antiquo, censet, nunc saltem & de jure novo, hoc tenendum propter *cit. Clement. ut ii. &c.* quippe ubi Pontifex statuit, ut nullus de cetero in Ecclesiis etiam regularibus vocem in Capitulo habeat, nisi saltem subdiaconus, falsique ostendit, se loqui etiam de propriè Monachis, usque religiosi, qui ad divina officia sunt destinati, addendo hanc rationem suae constitutionis: ut ii, qui divinis officiis sunt mancipati, aut mancipabuntur, imposterum ad suscipiendos Ordines propensius inducantur: Quibus adde, quòd in dicta *Clement.* addatur: non obstantibus quibuslibet consuetudinibus vel statutis,

Quaestio 258. Quid, si ergo initio quidem vacationis Ecclesiae canonicus non sit in sacris, possit tamen esse in iis intra tempus constitutum electionis?

Respondeo id sufficere; quod enim dicitur in Electionibus spectari initium, de initio electionis, non vacationis intelligendum. *gl. in cit. Clem. 2. v. constitutus.* Pass. *n. 59.* citans quamplurimos. Non tenentur tamen ceteri capitulares (modò tamen non praeveniant tempus à jure electioni constitutum) expectare usque dum talis ordinetur, uti nec imuberem, etsi ejus pubertas proxime finienda sit, nec novitium proximè professurum, &c. Sed absq; horum injuria uti possunt jure eligendi, quando ipsis opportunum videbitur. *gl. loc. cit. Pirh. n. 13. & ab eo citatus Azor. p. 2. l. 6. c. 14. Barbofi. juris Eccles. l. 1. c. 19. n. 52. Pass. cit. c. 10. n. 59.* citans insuper *Castell. de elect. c. 8. n. 21. Camill. in director. p. 1. c. 5. n. 1. &c.*

Quaestio 259. Quid hac in parte dicendum de eo, qui ex dispensatione Pontificis, vel etiam absque illa ante legitimam aetatem fuit ordinatus subdiaconus?

1. **R**espondeo ad primum: habere illum jus ferendi suffragii. Neque enim *cit. Clem. & Trident.* directè requirunt in eligente aetatem sufficientem pro subdiaconatu, sed ipsum subdiaconatum. *Barb. ad cit. Clem. n. 6. & de canonicis. c. 37. num. 3. Felin. in c. postulasti. de rescript. n. 11. Suar. loc. cit. n. 7. Tamb. de jure Abb. to. 1. d. 5. q. 8. n. 10. Sanch. de matr. l. 2. d. 1. n. 23.* quos citat. & sequitur *Pass. cit. c. 10. n. 60.*

2. Respondeo ad secundum: neque talem praecise ratione aetatis, vel etiam ex vi *cit. Clem. & Con-*

P. Leuren. Fori Benef. Tom. II.

cil. Trid. esse inhabilem ad ferendum suffragium, habet enim requisita ab iis, nempe subdiaconatum. Abb. in cit. Clem. n. 8. Suar. loc. cit. Pass. n. 61. Sed tantum jure novo; quia Extravag. nimirum Pii 2. cum ex sacrotum, &c. jure seu ipso facto suspensus est talis culpa sua (secus si absque sua culpa id factum) subreptitiè ordinatus ante legitimam aetatem. Barb. ad loc. cit. Trident. Rodriq. tom. 2. q. 23. n. 12. Suar. Tamb. II. cit. apud Pass. cit. n. 61.

Quaestio 260. An dispensatus à Papa super aetate necessaria ad canonicatum, eo ipso sit dispensatus, ut, etiam si non sit in sacris, possit habere vocem in electione?

Respondeo negativè. *Pass. loc. cit. n. 63. Barb. de canonic. loc. cit. n. 13.* dispensatus enim ad canonicatum non est eo ipso dispensatus ad Ordinem sacrum. *Rora in Senensi Archiep. 23. Junii ann. 1606. cit. à Pass.*

Quaestio 261. Vtrum ex legitima causa absentis, quamdiu abest à loco, in quo collegium congregatur pro electione, competat jus suffragii?

Respondeo affirmativè cum communi, spectato nimirum jure communi (secus namque esse potest per leges proprias collegii vel Ordinis alicujus. *Pass. loc. cit. n. 33.*) conceditur enim illi ferre suffragium per procuratorem. *c. quia propter, &c. h. r. c. se quis iusto. h. r. in 6. Abb. Innoc. &c. ibid. Barb. de jure Ecclesiast. l. 1. c. 19. n. 100. Laym. l. 4. tit. 2. c. 12. n. 4. Azor. instr. mor. p. 2. l. 6. c. 14. q. 7. Tamb. de jure Abb. To. 1. d. 1. q. 3. Pass. loc. cit. n. 35.* citans insuper plures alios. Nisi tamen valde distet à loco electionis, & maneat (secus enim est, si tempore electionis denud reversus sit ad locum viciniorem, etsi tempore citationis necdum in eo fuerit. *Pass. loc. cit. n. 39.* contra *Barb. loc. cit. n. 108.*) ubi non potest commode vocari; tunc enim jure communi nullum habet jus constituendi Procuratorem, sed nec citari debet, aut moneri de habenda electione. *cit. c. quia propter & ib. gl. & Barb. n. 37.* referens plures alios.

Quaestio 262. Quinam in presenti materia habeantur adhuc pro praesentibus?

Respondeo: Qui xgri decumbunt (idem est de alio iusto impedimento detentis. *Butrio in c. quia propter. n. 67. Castell. c. 12. n. 20. Tabien. &c. apud Pass.*) in conventu vel domo, ubi congregatur capitulum, etsi praesentes non sint in loco loci, seu in aula particulari, in qua fit electio; Proinde ad eos accedere debent scrutatores, & eorum votum recipere. *Barb. cit. n. 108. Thol. de elect. c. 16. n. 7. Azor. n. 2. l. 6. c. 14. q. 7. Lavor. l. 4. de elect. c. 17. n. 44. Pass. n. 32.* & plures alii apud illum. Idem dicendum de iis, qui extra illam domum in eadem civitate vel oppido, suburbii, in hortis adjacentibus simili impedimento detinentur, censent Sigismund. à Bononia, Sylv. Hostiensis cit. à *Pass. n. 32.* quod tamen ipse tunc tantum censet tenere, quando parva est distantia inter locum electionis, & locum, quo tales detinentur; ed quòd ipsi videatur durum, saltem de regularibus, ut scrutatores collegio congregato, & ceteris expectantibus, teneantur per civitatem inquirere votum infirmi.